

ret ex propria ratione, et specificatione sua, non ex supposito, respondetur quod præhabet illum valorem ex propria ratione, et specificatione objectiva, quæ objectiva ratio est ipsum suppositum; habet enim pro objecto valorem ex supposito desumptum offerre Deo, et id quod in aliis virtutibus Christi est dignatio dignitatis suppositalis, in commutativa justitia est objectum specificativum: sicut unio hypostatica ex propria ratione habet respicere dignitatem infinitam, quia ipsum suppositum est terminus, seu objectum talis unionis: sic ergo justitia commutativa dupliciter habet dignitatem infinitam. Primo, denominative secundum quod in exercitio determinatur a supposito ut principio quod, sicut cæteræ virtutes: secundo, objective, et specificative quatenus respicit pro objecto proprio valorem desumptum a supposito offerre pro recompensa.

XXXIII. Ad quartum respondetur, quod licet inter homines, et Deum non possit intercedere debitum legale rigorosum, fundatum in ratione dati et accepti, bene tamen fundatum in læsione divini juris, quia hæc est vera et propria ratio injuriæ, ut supra probavimus, et ipse Lorca non negat. Non potest autem habere rationem propriæ injuriæ, nisi lædat proprium, et verum jus, atque adeo debitum rigorosum, et legale inducat, quantum est ex parte juris læsi, non minus quam si alicui homini fiat injuria, licet ex parte lædentis sit impotentia ad restituendum. Christus autem assumpsit supra se hoc debitum ut imperfecte, et cum impotentia reddendum, sicut homines poterant; sic enim gratis mereretur, sed ut tenebat se ex parte personæ læsæ, et injuriam proprie dictam illi irrogabat.

DISPUTATIO TERTIA.

DE DECRETO INCARNATIONIS.

ARTICULUS I.

Explicantur instantia, seu signa rationis in decreto incarnationis, et aperitur punctus difficultatis.

I. Non sumimus hic signa divinæ voluntatis in eo sensu, quo de illis loquitur S. Thomas 1 part. quæst. xix, artic. xii, ubi quinque signa divinæ voluntatis distinguit, tamquam ea per quæ nobis declaratur quid Deus velit, et quomodo velit, et ita non sunt signa ad distinguendum objecta volita, sed sunt effectus, quibus nobis innotescit Dei voluntas, sicut præceptum, permissio, consilium, etc. In præsentibus autem sumimus instantia, seu signa rationis ad distinguenda aliqua objecta volita, quæ in nobis distinguerent diversos actus; in Deo autem solum distinguunt plures habitudines ejusdem actus, secundum quod vult unum ordinari ad alium, ut dicit S. Thomas 1 part. quæst. xix, artic. v; quia enim in Deo plures actus voluntatis non sunt sicut in nobis, et tamen tam diversa objecta sunt volita sicut a nobis, illi simplicissimo actui assignamus diversa instantia, seu signa, id est, diversas habitudines ad diversa objecta. Unde idem est assignare diversa instantia, atque assignare diversa objecta volita a Deo.

II. Et quando inter ipsa objecta est ordo, et connexio, ita quod unum dependeat ab alio, vel sit prius alio, dicitur etiam unum signum, seu instans esse prius alio: et quia causæ ad invicem sunt causæ, et con-

sequenter ad invicem dependent, et habent prioritatem, et posterioritatem, quæ dicitur prioritas naturæ, seu dependentiæ, ideo invenitur etiam unum signum esse prius, et posterius secundum diversas considerationes, seu habitudines. In præsentibus ergo, cum agamus de efficaci decreto Dei quo decrevit, ac voluit incarnationis mysterium, et volitio efficax pendet ex pluribus; nam respicit finem, et respicit media; respicit intentionem, et executionem; respicit rem quoad substantiam, et quoad circumstantias; respicit absolute in se, et comparative ad alios ordines rerum; respicit adæquate, seu complete, et secundum omnia illa distingui solent instantia, seu signa rationis in hac parte, non solum modica confusione, sed magna difficultate, ut videri potest in magistro Nazario hic artic. iii, controversia unica, et Cabrera.

III. Ante omnia autem moneo, quod quando distinguimus ista instantia in decretis divinis, non ita possumus unum instans, seu decretum ab alio se jungere, quod unum habere possit rationem futurationis respectu alterius, nec Deus potest cognoscere aliquod decretum suum, ut futurum sub aliqua consideratione, sicut putavit Suarez, lib. ii de scientia conditionali, cap. viii. Contra quem pugnat Vazquez 1 part. distinct. lxxiii, cap. iv, §. Sed quæret aliquis; et pater Herice, tract. i, disp. i, cap. ix, separatio quippe instantium, seu signorum in divinis decretis, nunquam potest fieri in duratione, sed solum in connotatione ad objecta, quæ attingunt, quia si posset concipi etiam a nobis unum instans, seu decretum divinum, ut in duratione sejunctum ab altero, et ut futurum respectu alterius decreti, vel respectus voluntatis Dei, posset concipi ut non co-

existens alteri, nec coexistens voluntati Dei, quia quod est futurum non est simul coexistens, sed succedens in existentia; repugnat autem in conceptu ipsius puri esse concipi aliquid, ut non coexistens, sed ut succedens; ergo repugnat concipi ut futurum. Quæ est ratio cur in progressionibus personarum, licet sit ordo originis, est tamen omnimoda simultas durationis, etiam in nostris conceptibus, quia est omnimoda consubstantialitas, atque adeo omnimoda coexistentia, et duratio.

IV. Quare hoc adverso, instantia, seu signa decretorum divinatorum distinguimus secundum diversas habitudines ad objecta (ut dicit S. Thomas xxiii quæst. de veritate, artic. ii ad primum et secundum) quæ prius, aut posterius sunt volita, et procedimus in his signis distinguendis tripliciter. Primo, secundum analogiam, et comparisonem ad actus, qui in nostra voluntate inveniuntur secundum intentionem, et executionem ad finem: secundo, ex parte motivorum, quæ concurrere possunt ad inclinandum voluntatem ad aliquid decernendum, si est unum adæquatum, vel plura: tertio, ex parte objectorum, quæ concurrunt, et respiciuntur a voluntate efficaci, et dependentia, seu connexione unius cum alio.

V. Invenitur autem in nobis primo distingui actus intellectus circa objectum, quod proponitur voluntati, et actus voluntatis tendens ad illud: et sic etiam in Deo correspondet instans, seu signum, quo cognoscit res faciendas, proponens illas voluntati, et signum, quo voluntas vult illas; et in intellectu adhuc distinguitur signum cognitionis speculativæ, et practicæ, sed de hoc nobis non est difficultas hic. In ipsa ergo voluntate, post propositum objectum ab intellectu, incipit tenden-

tia in illud, et varii actus sunt secundum duos ordines, intendendi scilicet, et exequendi, qui a nobis translati ad Deum diversa signa, seu instantia constituunt, et diversas prioritates intentionis et executionis. Qui actus, ut intelligantur, et distinctio istorum duorum ordinum, videri possunt præcipue tria loca D. Thomæ, ex quibus hauriri potest perfecta hujus intelligentia.

VI. Primus est in prima secundæ, quæst. I, artic. IV, ubi sanctus doctor aperte proponit: « Quod in finibus est duplex ordo, scilicet intentionis, executionis, et quod est primum in intentione est quasi principium movens appetitum, unde subtracto principio, appetitus a nullo moveretur. Principium autem in executione est unde incipit operatio, unde isto principio subtracto nullus inciperet aliquid operari. Istæ ergo sunt diffinitiones ejus, quod est primum in intentione, et quod est primum in executione, scilicet, principium movens appetitum, et principium unde incipit operatio. Unde quidquid induit rationem movendi appetitum, induit ordinem intentionis; et quidquid induit rationem unde incipit operatio, quod pertinet quasi ad genus efficientis, induit ordinem executionis. »

VII. Secundus locus est eadem prima secundæ, quæst. XII, art. I ad quartum, ubi inquit: « Quod voluntas respicit finem tripliciter, uno modo absolute, et sic dicitur voluntas prout absolute volumus, vel sanitatem, vel si quid hujusmodi est: alio modo consideratur finis secundum quod in eo quiescit, et hoc modo fruitio respicit finem: tertio modo consideratur finis, ut est terminus alicujus quod in ipsum ordinatur, et sic intentio respicit finem. Unde patet, quod

omnes isti tres actus pertinent ad ordinem intentionis, quia respiciunt finem, ut est principium movens appetitum: sed simplex voluntas, et fruitio respiciunt finem absolute, intentio vero respicit finem comparative ad media, et ut est terminus assequibilis, unde per illum actum fit descensus ad media, atque adeo ad ordinem executionis, licet ibi nondum incipiat executio. »

VIII. Tertius locus est ibidem quæst. XVI, art. IV, ubi inquit sanctus doctor: « Quod voluntas habet duplicem habitudinem ad volitum, una est, qua volitum quodam modo est in volente, id est, secundum quod præcise vult illud: alio modo secundum quod tendit ad consequendum volitum realiter, quod est habere illud perfecte, et per possessionem. Et prima habitudo voluntatis complectitur non solum finem, sed etiam media, quia etiam media sunt volita, et ita etiam media possunt pertinere ad ordinem intentionis, secundum quod volitum movet appetitum, et est volitum ab eo; et hæc habitudo volendi prout complectitur finem et media, terminatur in actu electionis, et inde incipit habitudo exequendi per usum, et imperium, etc. » Unde colligit ibidem Cajetanus a prima apprehensione finis, usque ad ultimam assecutionem ejus, intervenire duodecim actus, quorum alii versantur erga finem, alii erga media ut volita, alii erga assecutionem.

IX. Nos brevius proponimus tres ordines actuum, inter se ordinatos, et connexos, quo ex primo derivatur secundus; et ex secundo, tertius; sicut ex principiis derivantur conclusiones, et ideo primus virtualiter continet secundum, et secundus tertium. Primus versatur erga finem volendum, et in his invenitur triplex actus. Primus, quo

absolute vult finem, verbi gratia gloriam: secundus, fruitio, quo complacet, seu delectatur in fine sic voluto: tertius, quo vult finem assequi, et est intentio, qua apprehenditur finis, ut terminus ad quem media ordinantur: et sic parat voluntas descensum a fine ad media, et virtualiter illa continet, sicut principia ut disposita in modum præmissarum, conclusiones.

X. Secundus ordo actuum versatur circa media, etiam ut volenda, et hic sunt alii tres actus voluntatis. Primus, est unus antecedens electionem; seu motio, qua movet intellectum, ut consiliatur de mediis, seu proponat ea sibi, et sequitur consilium, hæc media proponens ex parte intellectus: secundus actus voluntatis est complacentia de mediis propositis, qui dicitur consensus, quasi bene de illis sentiens, et respondent fruitio, qua complacet de fine: tertius, est electio, qua unum medium præfert alteri, et comparative ad alium eligit: et in toto hoc ordine in quo versatur voluntas erga media, versatur circa illa volendo, non exequendo. Et ideo adhuc totum hoc pertinet ad ordinem intentionis generali modo acceptum, licet non versetur erga finem; tamen comparative ad primum ordinem potest dici executionis, quatenus tractat voluntas de his per quæ assequendus est finis.

XI. Tertius denique ordo, est ordo assecutionis realis, et sunt alii tres actus. Nam primus, est imperium, quo ordinatur, et intimatur executio, et ibi completur efficacia voluntatis via executionis, cum in præcedentibus solum esset efficax via intentionis: secundus actus est usus, quo post imperium ordinans, et intimans applicatur potentia executive ad operandum: tertius est ipsa executio mediorum: et ultimus est

assecutio finis. Hæc dicta sint ut ordo intentionis, et executionis per suos actus declaretur, et ex illis diversa instantia, seu signa rationis in Deo distinguere possimus, secundum istorum actuum varietatem, et in aliquibus actibus diversa signa secundum diversas rationes, et circumstantias, aut motiva, quæ in actibus considerantur ad intendendum, ad consiliandum, ad eligendum, etc.

XII. Secundo, oportet notare, quid intelligamus per efficacem voluntatem, et quid concurrat ad illam; et pro ejus intelligentia, quantum attinet ad præsens, breviter attendenda est doctrina S. Thomæ, quæst. VI de veritate, art. I. Et similem habet XII de veritate, art. X, ubi loquens de providentia Dei, et prædestinatione dicit: « Quod in qualibet ordinatione ad finem duo est considerare; scilicet ipsum ordinem et exitum, vel eventum ordinis; non enim omnia, quæ ad finem ordinantur, finem consequuntur; providentia ergo ordinem in finem respicit tantum; unde per Dei providentiam omnes homines ad beatitudinem ordinantur, sed prædestinatio respicit etiam exitum, vel eventum ordinis, unde non est nisi eorum, qui gloriam consequuntur. Sicut igitur se habet providentia ad ordinis impositionem, ita se habet prædestinatio ad ordinis exitum, vel eventum. »

XIII. Ex qua doctrina accipimus, quod voluntas efficax est, quæ ordinat in finem, seu respicit finem, non solum volendo ordinem ad illum, sed intendendo exitum, seu eventum, et non ab ipso eventu secuto in re dicitur voluntas efficax, sed ex eventu intento, quia in re sequi potest eventus casualiter, et per accidens, ut autem sequatur secundum modum prudentem operandi, oportet quod sit intentus, et

per se volitus. Igitur voluntas intendens ordinare aliquid ad finem, et simul eventum, seu exitum talis ordinis ad finem, dicitur efficax voluntas, quæ etiam in Deo dicitur voluntas consequens. Et quia res exire non potest extra causas, nisi cum omnibus suis circumstantiis, et mediis requisitis, oportet quod voluntas efficax attendat, et intendat res in singulari, et cum omnibus circumstantiis, et mediis ad exitum rei requisitis.

XIV. Quia vero efficacia in executione dependet a mediis, et media a fine, oportet quod efficacia unius virtualiter contineatur in efficacia alterius, et quod quidquid in ipso exitu, seu eventu rei executo relucet, totum in actibus, qui versantur erga media, et in actibus qui versantur erga finem, contineatur, ut intentum, et volitum. Et inde est, quod semel volita re efficaciter exequenda, non potest supervenire illi ordo ad novum finem, sed ordo ad finem debuit antecedere, quia ab illo descendit efficacia executionis, sicut a principiis derivantur conclusiones. E contra vero efficacia intendens finem, et exitum, seu eventum illius, licet non intuitu mediorum ut causæ moventis intendat, non tamen intendit independenter ab illis, ut virtualiter contentis in se, consequentibus ex se, non ut moventibus.

XV. Est tamen advertendum latum discrimen inter efficaciam voluntatis divinæ, et creatæ, quod divina voluntas est causa universalissima continens in se omnes causas; et a cuius efficacia dependent omnia requisita, ut aliqua res habeat suum exitum, seu eventum; unde non est efficax ejus voluntas, si aliquo modo impediatur eventus, seu exitus rei. Voluntatis autem creatæ non est causa universalis, et completa respectu aliarum causarum,

quin potius ad effectum sortiendum indigeat aliarum causarum adminiculo, quæ in manu ejus non sunt, et ita solum est causa quædam partialis, et inadæquata, et in suo genere. Causa autem inadæquata, et dependens ab aliis bene potest esse efficax in suo genere, quia intendit exitum, seu eventum rei ut in suo genere, et tamen ex impedimento extrinseco frustrari, quia non pertinet ad ejus efficaciam ponere eventum rei absolute, sed in suo genere; sicut ignis est causa efficax calefaciendi, licet calefactio ab imbre superveniente possit impediri, et omnes causæ naturales hoc modo sunt efficaces, scilicet efficacia impediibili, et subjecta contingentie.

XVI. Tertio, notandum est, quod sicut in omni re volita, quæ eligitur, assignatur ratio motiva eligendi, quæ est causa electionis hujus in particulari, ita quando aliquis finis non est connaturaliter debitus statui rerum, sed potest poni, vel relinqui, assignatur ratio aliqua motiva, aut etiam impulsiva, quare intendatur. Et rursus si cum talibus circumstantiis, vel accidentibus intenditur, sine quibus posset intendi, de illis debet assignari ratio motiva propter quam sic intenditur.

XVII. In causis autem motivis invenimus diversitatem, aut subordinationem; et connexionem; neque enim adæquatum motivum faciendi aliquid est solum aliquid simplex, sed aliquando ex multis componitur. Unde dicit optime S. Thomas 1-2, quæst. XII, artic. III, quod: « Homo potest sibi plura intendere non solum ut subordinata, sicut quando appetit finem ultimum, et medium, sed etiam non subordinata, sicut plures utilitates ejusdem rei; potest enim (ait S. Thomas) aliquid prælegi alteri, ex hoc quod ad plura valet; oportet tamen, quod omnia illa præordinentur in ratione per

modum unius, vel sub uno communi contenta; » ut dicit ibidem doctor sanctus solutione ad secundum, quia non potest dari unus motus intentionis, nisi habeat unum terminum formaliter loquendo, etsi materialiter, et partialiter sint plures.

XVIII. Omnia autem motiva ad aliquid eligendum, vel habent rationem finis causæ, vel rationem finis effectus. Vocatur finis causæ, ille cujus gratia aliquid sit, sive finis proximus, sive ultimus: finis effectus, ille qui consequitur, et ad quem utilis est positio talis rei; et iste finis etiam motivus esse potest, ut manifeste docet S. Thomas citato loco dicens: « Quod inter alias conditiones, quibus unum est melius altero, est quia ad plura valet: » unde potest aliquid prælegi alteri ex hoc quod ad plura valet: valere autem ad plura, est valere ad plures effectus. Quare ex eo quod effectus ipsi desiderantur, et movent appetitum, eligitur res valens ad illa plura. Et finis cujus gratia, qui est causa, semper est nobilior eo, quod ordinatur ad illum: finis autem effectus non semper est nobilior, quia effectus potest esse nobilior sua causa.

XIX. In ipso ergo incarnationis opere invenimus substantiam, quæ est summa communicatio divinæ bonitatis, in quo excedit ordinem communicationis secundum accidentia supernaturalia; et ordinem communicationis secundum esse naturale rerum: et cum sit illis excellentius, se habere potest ut illorum finis. Invenimus etiam effectus ad quos valere potest, verbi gratia ad satisfaciendum, ad glorificandum, ad consummandum opera universi, etc. Invenimus etiam omnes circumstantias, verbi gratia, quod venerit passibilis; venerit ex matre; natus sit tali tempore, etc. Et hæc tria ita se habent, quod unum

se habet, ut determinabile per aliud, nam velle substantiam incarnationis, determinatur per hoc, quod est velle illam ut pro tali, vel tali effectu valentem, verbi gratia, ut satisfaceret Deo, et repararetur quod perditum erat, vel ut honoraretur non perditum. Et ex hoc ulterius determinabitur in particulari circumstantia talis, vel talis, quæ congruebat illi effectui pro quo veniebat; puta quod passibilis veniret, quod tali tempore, etc.

XX. Et similiter Deus habet motiva faciendi hoc opus. Primo quidem motivum primum, et finem, cujus gratia, scilicet seipsum, seu ostensionem gloriæ suæ. Sed quia hic finis est valde universalis, et remotus, potestque variis viis intendi, determinat Deus ostendere in talibus rebus suam bonitatem, verbi gratia, in ordine rerum naturalium, et supernaturalium, et ordinis hypostatici, secundum connexionem, seu subordinationem, quam unus ordo habet respectu alterius. Sed quia ordo hypostaticus potest ad diversos effectus in hoc universo exercendos ordinari, sicut determinat Deus ad quos effectus ordinare vult res naturales, et supernaturales, ita determinat ad quos effectus vult incarnationem, ut in illis determinate ostendatur gloria sua in illo opere. Et denique ex illa determinatione determinat circumstantias secundum congruentiam, et convenientiam ad tales effectus, in quo ordine procedendi et invenitur providentia communis, et particularis; ordo decretorum efficacium, et inefficacium; impositio ordinis in rebus, et exitus, seu eventus rei ordinatæ. Et quia multi assignant diversa instantia secundum omnia decreta Dei efficacia, et inefficacia secundum processum a re volita in universali ad volitum in particulari, a substantia rei ad circumstantias

ejus, a dispositione ordinis in finem ad eventum ordinis, maxima confusione procedunt.

XXI. Nos ergo, cum intendamus solum in præsentem agere de decreto efficaci incarnationis, et prout de facto determinatum est, plura ex his instantibus resecamus, quæ pertinent solum ad decreta inefficacia, seu ad providentiam generalem imponentem ordinem, non vero attendentem ad exitum, seu eventum rei. Et ideo ut difficultatis punctum, in quo situm sit, aperiamus, in primis non est quæstio, an Christus veniret Adam non peccante per aliud decretum, et secundum aliam rerum mutationem. Constat enim potuisse Christum venire, etiam Adam non peccante, sicut potuit assumere naturam angelicam, et nos non redimere, etc. an vero ita foret est plane divinare, et ad abyssum iudiciorum Dei spectat.

XXII. Secundo, est certum quod si decretum præsens sumatur prout comprehendit, non solum incarnationem, sed etiam circumstantias omnes, ex vi istius decreti sic circumstantionati adveniret tunc, quia oporteret alias circumstantias habere, et quoad hoc esset aliud decretum, seu alia extensio decreti pro ea parte, qua circumstantias tangit.

XXIII. Tertio, nolumus hic disputare, quem ordinem servavit Deus in decernendis omnibus ordinibus rerum, qui inveniuntur in hoc mundo, scilicet, ordine rerum naturalium, ordine supernaturalium, et ordine hypostatico; et an omnia unius ordinis supponantur ad alium, eique subordinentur, vel non. Nec enim hæc latius disputanda sunt, sed solum obiter tangenda quantum necesse fuerit ad explicandum decretum efficax incarnationis.

XXIV. Difficultas ergo stat in hoc, an hoc decretum efficax quo deter-

minatum est Christum de facto venire, et intenta est communicatio hypostatica quod ad eventum, et exitum rei, id est, efficaciter, habuerit dependentiam, seu respectum, aut connexionem cum redemptione a peccato vel non habuerit. Et quia dupliciter potest habere connexionem; uno modo cum redemptione a peccato, ut prius prævisio, et prius voluto remedio; deinde volendo Christum, qui remedium illud daret: alio modo cum redemptione a peccato, ut secuta tamquam medium, ut veniret Christus prius intentus, ut finis ante prævisionem peccati; ideo utroque modo inquirimus, quam dependentiam, aut connexionem habuerit incarnatio, ut efficaciter decreta, cum redemptione a peccato.

ARTICULUS II.

Utrum ex vi præsentis decreti ponatur incarnatio in re, si Adam non peccaret?

I. Ut supra diximus in initio huius quæstionis in commentario articuli tertii, omnes rationes dubitandi in ista difficultate reducuntur ad duo capita. Primum, ex parte prædestinationis Christi, qua prædestinatus est ut finis omnis creaturæ; et consequenter efficacia huius finis debuit antecedere efficaciam volendi totum universum, quod ordinabatur ad ipsum, ut ad finem. Unde ulterius fit, quod prius fuit efficaciter decretum de Christo, quam institutus esset ordo naturalis hominum, et reliquarum creaturarum; atque adeo prius quam Adam intelligeretur habere gratiam, et peccasse, quia semper intentio efficax finis præcedit volitionem eorum, quæ ordinantur ad ipsum.

II. Secundum est ex parte motivo-

rum, ex quibus Christus decernebatur venturus, quia fuerunt alia motiva sufficientia, quæ moverunt Deum ad decretandum, quod Christus veniret, præter motivum redemptionis a peccato, atque adeo etiam si hoc cessaret, etiam Christus veniret ex vi præsentis decreti, ut innititur aliis motivis, quæ ad ipsum de facto concurrerunt.

III. Ex his difficultatibus nata est duplex sententia celebris in hac parte, quæ inde in varia dividitur capita, secundum varias explicationes auctorum, qui has scholas sequuntur. Nam D. Thomas (ut vidimus in articulo tertio) existimat ex vi præsentis decreti, et motivorum ad illud, Christum venisse in remedium peccati, et quod non veniret nisi remedium illius, quia sic auctoritates multæ dicunt, de quibus solum possumus certificari de motivis Dei. Scotus autem in III, distinctione VII, quæstione III existimat, ex vi præsentis decreti, eo modo quo factum est, Christum venturum, et tamen asserit, sine præiudicio alterius sententiæ, quæ in auctoritatibus fundatur, quarum vim fugere voluit Scotus, et ut illas aliquantulum exponat dicit, intelligendum esse, quod Christus non veniret ut redemptor, vel etiam ut passibilis, nisi homo peccaret, quia ergo ista duo concurrerunt in Christo, scilicet, quod sit finis omnium creaturarum Dei, et quod fit redemptor generis humani, ideoque in carne passibili veniret. Et Scotus considerans ipsum ut finem, dicit esse prædestinatum independentem a peccato hominis, licet non ut redemptorem. At vero D. Thomas considerans Christum non efficaciter fuisse intentum de facto, nisi ut redemptorem, propter hoc etiam motivum vult factam fuisse incarnationem.

IV. Divisi sunt auctores in sequendo, et explicando mentem horum

auctorum. Nam quidam absolute sequuntur Scotum dicentes, quod decretum, quo Deus voluit incarnationem Christi, ita fuit absolutum, quod omnino independentem fuit volitum a creatione hominum, et Angelorum, et totius universi tamquam finis absolute intentus; deinde vero voluit Deus gloriam Angelorum, et hominum, et tandem creaturas in esse naturali licet ab istis in executione.

V. Secundo, alii voluerunt incarnationem Verbi, et ipsum Christum determinate fuisse primum prædestinatorum, et primo intentum efficaciter ut finis omnium, ita quod ut esset volitus in ratione finis, nulla præcessit peccati prævisio, neque alterius creaturæ prædestinatio; tamen ut in executione fieret incarnatio dependisse a ratione redemptionis, ut a medio, sine quo non mandaretur executioni. Sicut vult Deus prædestinatum eligere ad gloriam per modum finis, cujus tamen assecutionem non vult fieri nisi per merita, et ita in ratione finis intenti non pendet a meritis; in executione pendet ab illis: sicut quando intenditur quilibet alius finis efficacia intentionis in ratione intentionis explicite non pendet a mediis, tamen assecutio ejus sine mediis non est, quæ virtualiter includuntur in volitione finis, et implicite. Ita Lorca hic disputatione III, membro II, licet alii ante etiam sequerentur illam sententiam.

VI. Tertio, inceperunt alii ulterius assignare in volitione Dei, qua voluit incarnationem, indeterminationem, seu indifferentiam ex parte objecti voliti, intelligentes, quod Deus voluit primum unionem hypostaticam, vel incarnationem, abstrahendo a carne passibili, vel impassibili; deinde remedium peccati fuisse causam motivam adæquatam, et totalem volendi mysterium incarnatio-